





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Ab. 52. j*



114  
L. N. J.  
DISPUTATIO XIV.  
**SELECTARUM  
THESIUM  
JURIS CERTI & CON-  
TROVERSI**

Ex Tit. j. d. Obligat. eiq; titulis π. C. Justin.  
Theod. βασιλικ. & ῥ. respondentibus.

*Quam*  
P R Æ S I D E  
**JOHANNNE CHRISTO-**

**PHORO** *Solk* /

J. U. D. & P. P.

**CHRISTIANUS** *Windel* /

Thor. Bor.

**R E S P O N D E N S**

publicè defender

**IN AUDITORIO MAJORI**

A. cl. l. cc. LXXXI.

---

**REGIOMONTI.  
PRÆLO REUSNERIANO.**



V I R I S

*Magnificis, Præ-Nobilissimis, Amplis-*  
*simis* DOMINIS,

DOMINIS

BURGGRABIO,

PRÆSIDI,

PRÆ-CONSULIBUS,

CONSULIBUS,

Inclutæ Reipubl. Thorunensis

PATRIÆ PATRIBUS,

*Patronis suis Colendisimis,*

Exercitium hoc Academicum humil-  
limo atq; devotissimo animo con-  
secrat & offert

RESPONDENS.



I. N. J.

I.



It. *j. d. Obligat: respondent in π. & C. I. d. Obligat: t. t. βασιλ. de omnis generis Obligatio nibus ex Contractu & delictō natis tum quinam obligentur qui non oblig. t. t. π. C. I. Theod. & βασιλ. d. pact. t. t. π. d. pollicitationibus t. t. βασιλ. d. pollicentibus se opus aliquod Reip. fa cturos. t. t. C. Just. & βασιλ. d. S. Trin. & Fid. Continent prædict Tituli Definitionem Divisionem & causas obligationis.*

II. Diligens Verborum cura gerenda est, utpote cum verba rectè censeantur notæ & domicilia rerum *l. 7. §. 2. π. d. Supp. Leg.* aliàs enim perturbatus & confusus nominum usus rerum quoque confundit cognitionem secundum *Galenum l. 3. d. Simpl. med. facult. c. 12.* quare præmittenda quædam sunt circa nomen obligationis. Accipitur vero *obligatio* dupliciter *largè & strictè*. *Largè* sumitur præ omni eò ad quod vel ex instinctu Juris naturæ, rationis dictamine, vel æquitate aut morali honestate vel Lege sive naturali sive Civili jubente tenemur, imò non tantum ad id ad quod ex lege justitiæ tenemur sed etiam ad id quod Lex charitatis exposcit; naturali ratione obligamur ut beneficienti beneficiamus *l. sed si 25. §. Consuluit 7. π. d. P. H.* Deo Patriæ & parentibus pareamus *l. 2. π. d. 7. & 7. strictè* obligatio accepta alia est *efficax* alia *inefficax*. *Efficax* dicitur illa, cujus ratione quis ad solvendum vel præstandum aliquid cogi potest, & quæ ex duabus quasi partibus naturali & Civili constat, *inefficax* vero non est tantarum virium ut invitum ad aliquid faciendum compellere queat, quia non est ad necessitatem juris redacta. Primis quidem temporibus, si *Poëtis & aliis Scriptoribus* credere fas est, fides sola sufficiens & efficax visum est vinculum ad confirmandas conventiones, sed postquam malitia & levitate invalescente omnia in pejus cæperunt ruere perfidiâ efficacia eludebatur, & experientiâ magistrâ nusquam tuta fides reperta est *Virgil: 4. Aneid.* quod docet dictum *Epicharmi: ναφε η̄ μέμνασο ἀπιστεῖν* *sobrius esto & memento nulli fidere.* Necessarium itaque fuit ut fraudulentis hominum machinationibus obstaculum objiceretur & aliquod vinculum publicâ autoritate injiceretur

A

tur



tur placitis & conventionibus, non tamen omnibus, quia Libertas  
oris non nimium restringenda & ne quis promiscue ex aliqua incogi-  
tancia temere obligetur cum multa magis ostentandæ benevolentia  
quam serio promittantur. Denegat quoque Lex Civilis authorita-  
tem suam quibusdam *personis paciscentibus*, patri contrahenti cum  
filio. *Domino* cum Servo, duobus *fratribus* inter se, qui tamen in  
ejusdem patris potestate sunt constituti *l. frater*  $\pi$ . *d. Cond. Indeb.* pu-  
pillo absque tutoris autoritate se obliganti, ideo Lex Civilis etiam de-  
negat Actionem *l. interpositas* 13. *C. d. Transact.* §. *Si Servus* 6. *j. d.*  
*Nox: Act.* quia conditio personarum est circumstantia impediens Le-  
gis adfidentiam, pater & filius pro una habentur persona *l. f. C. d. Im-*  
*pub. §. al. Subst.* Sed sibi Nemo obligatur §. *Sic itaq;* 15. *j. d. Act. l. si*  
*quis pro eo* §. *item si filius*  $\pi$ . *d. Fidej.* inde nulla lis inter patrem & fi-  
lium esse potest *l. lis nulla* 4.  $\pi$ . *d. judic.* filius omnia patri acquirit §.  
1. *j. per qu. c. acq.* quod etiam de Servo dicendum qui omnia Domino  
acquirat & quoad Juris Civilis constitutionem mortuo æquiparatur  
*l. quod attinet* 32.  $\pi$ . *d. R. l.* Fratres vero indivisum habent patrimo-  
nium ideo nil quicquam sub P.P. possident nec sibi acquirunt. At pu-  
pillus suam per Tutoris autoritatem perficit personam. Sed hæc  
*generaliter* dicta suas habent Exceptiones.

III. Obligatio *efficax* dici solet jus ad rem, quod quidem circa  
rem est sed tamen, ut res ipsa non sit devincta sed persona tantum obli-  
gata ad aliquid præstandum, unde dicitur in *l. 3. d. O. & A.* quod obli-  
gatio non immediate transferat dominium in re, sed personam ad-  
stringat ad rem. Est ergo in personis subjective, in rebus objective,  
& ita intelligenda definitio quæ proponitur in §. 1. *j. d. Oblig. l. 3. n.*  
*ead.* in quâ postrema verba *secundum nostræ Civitatis jura* indicant  
*obligationes* definitas, quæ habuerunt vinculum & robur à Legibus  
Juris Civilis: easque efficaces tantum conventiones quæ vinculum  
& præsidium à Jure Romano acceperant in aliis nullam solutionis vel  
coactionis necessitatem admittens. Divisiones obligationis non *his-*  
*jus* sed *in genere dictæ* multæ ac variæ sunt. Est enim vel *naturalis*  
vel *c. v. lis tantum* & non *naturalis* vel *naturalis & civilis simul.* Est  
vel *certa* vel *incerta.* Aut in dando aut in faciendo consistit. Vel  
*dividua* vel *nd. vidua* *l. 2. §. 1. D. d. V. O.* vel *simplex* est vel *multiplex,*  
aut *pura* est, aut *diem* habet aut *accessionem* personæ aut rei §. *Si quis*  
*alii*



alii 4 j. d. V. O. l. 44. §. accessio. 4. π. d. O. & A. aut modum aut neu-  
erum, aut ex conventionem, aut ex factō descendit. Conventio vel pactum  
est vel Contractus. Contractus vel verus vel quasi Contractus, factum  
vel delictum aut quasi, l. actionum 25. §. 1. l. obligamur 52. d. O. & A.

IV. *Naturalis obligatio* est æquitatis & naturæ seu Juris Gen-  
tium vinculum quò ita adstringimur necessitate alicujus rei solven-  
dæ, ut tamen nulla sit eò nomine actio Jure Civili. *Æquitatis vincu-  
lum* dicit Papinianus l. Stichum 95. §. *naturalis* D. d. Solut. quia id  
quod ex Jure Naturali præcipiente est semper æquum & bonum est l.  
pen. D. d. 7. & 7. Necessitas rei præstandæ ex hac obligatione satis in-  
dicatur cum dicitur: *is natura debet, quem Jure Gentium dare oportet*  
l. cum amplius §. 1. d. R. I. Et quanquam *Sanctiones pœnales* non  
ita expressè in *Lege naturali* definitæ sint, nullâ tamen ratione pro-  
babile est, eandem omni plane pœna destitui. Id quod inter alia ar-  
guunt morsus illi conscientiæ, quibus torquentur facinorosi, etiam  
quibus spes est homines fallendi, pœnamqve humanam effugiendi;  
quem metum non ab altiore principio, sed merâ tantum simplicitate  
ortum habere, Nemini dictamen Rationis sequenti, persuaderi po-  
terit. Cicero pro S. Roscio: *Sua quemq; fraus & suus terror maximè  
vexat suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit, sua male cogita-  
tiones conscientiaq; animi terrent. Hæ sunt impiis assidue domesti-  
caq; furie.* Neque credendum unquam contra istos terrores aliquem  
sibi salubrem medicinam ab Atheismi impietate fecisse, quin ad tem-  
pus exulans Numinis reverentia acrioribus demum motibus impiam  
mentem concusserit, quod docent Imperatoris Tiberii literæ, quas  
his exorsus est verbis: *Quid scribam Vobis P. C. aut quomodo scri-  
bam, aut quid omninò non scribam hoc tempore, dii me deeq; pe-  
jus perdant, quàm perire quotidie sentio, si scio. Adeo* subjicit Tacit.  
l. 6. Ann. *facinora atq; flagitia sua ipsi quoq; in supplicium verterant.  
Neq; frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludan-  
tur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando ut cor-  
pora verberibus, ita sevitia libidine, malis consultis, animus Dilace-  
retur, quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant,  
quin tormenta pectoris suasq; ipse pœnas fateretur.* Hæc obligatio  
naturalis est vel *congenita* quæ cum ipso homine oritur, nec ullò tem-  
pore tolli imò nè quidem quoad exercitium respectu cultus Divini



seu Dei suspendi potest, licet quoad *actum* respectu hominis saepe suspendatur e. g. in statu belli obligatio reciproca ab unâ parte abrum-  
pitur, & pro officiis humanitatis hostilia reponuntur, statim tamen  
atque propriæ salutis ratio admittit parati esse debemus ad exercen-  
da iterum cum altero officia humanitatis pacemque colendam. Vel  
est *adventitia* quæ ex assertione vel promissione aliqua enascitur,  
non tamen omni, sic si nudè explicemus animum nostrum qui nunc  
est de futuro, non tenemur in istâ Voluntate perseverare ut ad Seja-  
num scribit Tiberius apud Tacit: Ann: 4. *Ipse quid intra animum  
volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus Te mihi immiscere pa-  
rem, omittam ad presens referre.* Ex tali assertione nulla oritur  
obligatio l. 108. §. 1. D. d. V. O. Si vero quis Voluntatem suam pro  
futuro tempore determinat ad aliquid gratuito alteri præstandum,  
cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem ex in-  
trinsecâ validitate obligatio oritur, quamvis accedens paciscentibus  
vel etiam ipsi objecto qualitas externum ejus effectum intercipiat ut  
in debito reponendæ gratiæ, in promissio Principis absoluti facti sub-  
jecto, Domini facti servo, patris facti filio sub P. P. constituto. Sed  
quando quis voluntatem suam pro futuro tempore non solum deter-  
minat circa præstandum aliquod factum vel rem, verum etiam simul  
indicat, se jus in eundem conferre, ut rem promissam plene exigere  
queat, tum perfecta promissio est similem habens effectum qualem  
alienatio domini. Est enim aut via ad alienationem rei, aut aliena-  
tio particulæ cujusdam nostræ libertatis, illa consistit in promissis  
dandi hæc in promissis faciendi *H. Grot. d. I. B. & P. L. 2. c. 11. §. 2. 3.  
& 4. Pufend. tr. d. Lib. 3. c. 5. §. 5. 6. & 7.*

V. Constat itaque promissa obligare, ni modo vitium aliquod  
in cognitione vel appetitu qualia sunt *error, dolus & metus*, obstat.  
De *errore & dolo* res manifesta est, ut si *error* sit circa *substantiam*  
rei, vel *dolus*, Contractui causam dederit, actuum nullitas inde fluat,  
quia utrumque consensum ad obligationem necessarium excludit,  
inde dicitur quod error circa essentialia pacti id vitiet l. 57. d. O. & A.  
Multo magis autem vitiat promissio, si alterius fraus aut dolus ma-  
lus errorem in promittente produxerit, dolus scil. à Grotio d. tr. l. 3.  
c. 1. §. 7. In actu positivo non vero in actu negativo qui auctore  
Labeone l. 1. §. *dolum malum* v. d. *Dol. mal.* ad dolum sed non ma-  
lura



lum refertur, ubi quis per dissimulationem tuetur sua vel aliena. Haud dubie crude nimis à Cic. 3. Officio. dictum, *ex omni vitâ simulationem dissimulationemq; tollendam.* Nam cum nec quæ scias, nec quæ velis omnia aperire aliis tenearis, sequitur ut dissimulare quædam apud quosdam seu tegere & occultare fas sit. Exemplum præbet historia Jeremiæ c. 38. Is enim Propheta à Rege interrogatus de obsidionis eventu, apud Proceres Regis postulatu hoc ipsum prudenter occultat, aliam interim causam nec falsam colloqui adferens. Barlaam Eremita Josaphatum Indiæ Regis filium ad fidem Christianam inducturus, sævientis patris metuit furorem, mutatâ veste opus aggressus est, cumq; causam hujus sciscitatus esset Josaphat, respondit Senex: à quodam piorum fratrum eam, cum ad te profecturus eram, ad usum accepi; neq; enim par erat, ut cum eâ, quam ferre soleo, veste accederem. Quemadmodum enim quispiam ex irrisivum quendam cognatum in alienam Regionem abductum, illinc educere cupiens, abjectâ veste suâ, atq; hostium susceptâ personâ ad eorum se confert regionem variisq; artibus propinquum suum ex acerbâ tyrannide in libertatem asserit; eodem modo de tuis rebus certior factus. hoc habitu suscepto veni, ut divinâ prædicatione peccus tuum consererem, atq; à truculenti Principis mundi servitute te liberarem. in Vit. Patr. lib. 1. p. 283. edit. Rosweid. Et hoc inter alia in Patrum Vitis continetur eod. lib. 1. p. 374. Fuit meretrix quædam Thais nomine, tantæ pulchritudinis, ut multi propter eam vendentes substantiam suam, ad ultimam pervenerint paupertatem. Sed & lites inter se conserentibus amatoribus suis, frequenter sanguine juvenum puella limen replebatur. Quæ cum Abbas Paphnutius audisset, sumptò habitu seculari, & uno solido profectus est ad eam, deditq; ei solidum pro merce peccati; At illa accepto ait: Ingrediamur domum, tunc ille ingressus, ut lectum pretiosis vestibus stratum conscenderet invitabat eam & dixit: Si est interius cubiculum, in ipsum eamus. Illa dixit, est quidem. sed si homines vereris, nec in isto exteriori cubiculo ullus ingreditur: si verò Deum, nullus est locus, qui Divinitatis ejus oculis abscondatur; Quod cum audisset Senex, dicit ei: Et scis Deum esse? cui illa respondit: Et Deum scio & Regnum futuri Seculi, nec non tormenta futura peccatorum. Dicit ei: Si ergò hæc nosti, cur tot animas perdidisti, ut non solum



*pro tuis sed etiam aliorum criminibus damneris. Quod cum Thais*  
*audisset, provoluta ad pedes Paphnutii emissis lachrymis injungi*  
*sibi penitentiam oravit, exustoque post muliebri mundo, in angustâ*  
*constrictâ cellâ seriam egit penitentiam. Et simulationem necessa-*  
*riam imò inevitabilem esse his præsertim quibus Resp. commissa est,*  
*non uno loco fatetur Cicero pro Mil. § l. 7. ep. 9. præsertim si im-*  
*perans hunc quem Medicus habeat finem, qui apud ægrotum men-*  
*tiens eum quidem decipit, at deceptor non est, quia ei non propo-*  
*situm fuit decipiendi sed servandi ægrotum. Sic rectè Germanicus*  
*cum veterani ei si vellet prompti imperium ostentarent, quasi sce-*  
*lere contaminaretur præceps tribunali desiluit, & se moriturum po-*  
*tius quàm fidem exueret clamitavit, ferrumq; à latere direptum e-*  
*latumq; deferre in pectus simulavit, quod ipsis cum se videret ad-*  
*huc precariani inter infensos trahere animam ad compescendum tu-*  
*multum tanquam verum exprobrat factum, ita eos alloquens:*  
*Quid per hos dies inausum intemeratumve vobis? quod nomen*  
*huic cœtui dabo? militesne appellem? qui filium Imperatoris vestri*  
*vallo & armis circumsedistis. An Cives, quibus tam projecta Sena-*  
*tus auctoritas, hostium quoq; jus & sacra legionis & fas gentium ru-*  
*pistis. Cur enim primo concionis die ferrum illud quod pectori meo*  
*infigere parabam detraxistis? O improvidi amici! melius & aman-*  
*tius ille, qui gladium offerebat: cecidissim certe nondum tot flagi-*  
*tiorum exercitui meo conscius. Meritò verò Tiberii simulationes*  
*improbantur, qui cum imperium avidissimè expeteret, variè de ejus*  
*magnitudine differebat, solam Divi Augusti mentem tantæ molis ca-*  
*pacem: se in partem curarum ab ipso vocatum experiendo didicis-*  
*se, quam arduum, quam subjectum fortunæ, regendi cuncta onus;*  
*proindè in Civitate tot illustribus Viris subnixa, non ad unum*  
*omnia deferrent, plures facilius munia Reip. sociatis laboribus exe-*  
*cuturos. Et his modis primò prudentes, dein vulgus, diutissimè*  
*Provincias fefellit Tacit. ann. lib. 1. Notum illud Homeri:*

*Ille mihi invisus pariter cum faucibus Orci,*

*Cui mens aliud condit quam lingua profatur.*

*Ab omni actu obligationem inducente absit noxia simulatio & do-*  
*lus malus l. 6. C. d. long. temp. præscript. l. 2. C. d. in lit. jur.*  
*fraus l. 23. d. V.S. machinatio animi fraudulenta l. ult. C. d. Litig.*  
*Calli-*



Calliditas l. 47. d. R. I. l. 12. d. Lib. caus. malitia l. 4. §. 13. d. Dol.  
 Except. nequitia l. 23. §. 2. d. Edil. Edict. quæ consistit in ~~negotiorum~~  
 nocendi Arist. 1. Rhet. 13. & ita doli vocabulum aliàs μέσσην in ma-  
 lam partem sumitur, non verò in bonam, qua accipitur pro qua-  
 dam solertia laudabili, de quâ ita Arist. L. 6. Eth. c. 13. ait: Est  
 quedam facultas, quam δεινότης h. e. solertiam vocant: hæc talis  
 est, ut ea quæ ad propositum scopum tendunt, possit quis agere &  
 consequi: quod si ergo honestus est scopus, laudanda quoque est illa:  
 si malus πανουργία seu versutia est. A. Gell. 12. N. A. c. 9. idem con-  
 firmat. Negotium vi motuque gestum jure subsistit, & statuit Grot.  
 d. I. B. & P. L. 2. c. 11. §. 7. sepositâ Civili Lege eum qui metu pro-  
 misit obligari, nam actus qui metu homini dicuntur extorqueri si ex  
 consilio proveniant, sunt simpliciter voluntarii, voluntate ex duo-  
 bus malis minimum eligente, quamvis non sint absolute spontanei  
 Arist. 3. Eth. 1. ubi enim est vis & metus, ibi consensus & volun-  
 tas si non libera & integra l. 1. 2. Qu. me. ca. ge. saltem coacta &  
 remissa l. si mulier 21. §. pen. eod. l. 116. D. d. R. I. rescindi tamen  
 potest negotium ita gestum Actione quod metus causa l. 1. D. Qu.  
 m. c. g. Inde l. 6. C. Theod. vult pactionem terrore potentia extor-  
 tam non valere.

VI. Pacti appellationes quædam ambiguae sunt quædam di-  
 stinctæ. Ambiguae modò ad pactum generale modò speciale refe-  
 runtur, inde pactio arg. l. 1. §. 2. d. Pact. l. 7. §. adeo autem 6. eod.  
 Conventio d. l. 1. §. 3. & 4. Placitum arg. l. si pacto 14. C. eod. præ-  
 terquam quod hæc vox generalior ipso pacto generali arg. l. 1. §. 1.  
 l. 4. pr. eod. imò & pactum conventum arg. l. duo societatem 71.  
 pro Soc. l. Contractus 4. d. pig. l. pacta conventa 72. d. contr. Empt.  
 ac pactum justum dicitur arg. l. ex eo 4. C. d. Inutil. Stip. Distinctæ  
 quædam quæ tantum de pacto Contractui adjecto, quædam quæ tan-  
 tum de pacto specialiter sic dicto seu pacto nudo dicuntur, & sic di-  
 citur pactum lex l. d. pacta conventa 72. d. contrab. Empt. l. 1. C.  
 d. pact. conv. Conditio l. Actioni 54. d. Edil. Edict. pactio nuda l.  
 7. §. Sed cum nulla 4. π. d. Pact. Conventio simplex vel nuda l.  
 avia 6. C. d. Jure Dot. Exceptio l. 7. §. 4. & 6. d. pact. Pollicitatio  
 nuda l. nuda 5. C. d. contrab. Stip. l. 3. d. Pollicit: Generaliter verò  
 acceptum pactum est duorum pluriumve in idem placitum consen-  
 sus



*lus l. 1. §. 1. d. Pact.* συμφωνόν ἔστι δύο ἢ πλειόνων εἰς ταυτὴν ἀρετὴν καὶ συναίνεσις *lib. 11. βασιλ. d. pact.* συμφωνόν ἔστι δευτέρω (δυοῖν) συναίνεσις καὶ συνέλευσις *lib. 54. βασιλ. de Pollicent. se opus aliq. Reip. fact.* Ut adeo *conventionis* verbum non videatur aptius quam *consensus*, quia *hoc* loco generis positum *latius* est suo definito nec est *tropicum*. *Consensus* enim *proprie* dicitur non tantum is, qui in *Voluntate* ad actionem aliquam expediendam, qualis in pacto *intervenit*: sed etiam qui in *imaginatione* aut *Voluntate* est. *Conventio* verò *proprie* tantum ad negotia contrahenda non verò *distrahenda* spectat & vox *metaphorica* est, quoniam sicut dicuntur *convenire*, qui ex *diversis* locis in unum colliguntur & *veniunt*, ita ad *analogiam* & ex *diversis* animi motibus in unum *consentiunt* i. e. in unam *sententiam* pedibus transeunt *l. 1. §. 3. h. t.* Additur verò in *Definitione duorum plurimumve* quia unus quidem secum *consentire* & à se *distinctis* temporibus *dissentire*, sed non *pacisci* potest, quibus *diversitas Pollicitationis* declaratur, quæ ob id, quod hoc *consensu* ab alterâ parte *destituitur* solius offerentis *promissum* dicitur *l. 3. d. Pollic. lib. 54. βασιλ. d. t. d. pollicentibus se opus ali- quod Reip. fact.* *Conventionis* tamen verbo *generali* continetur *pactum* & *Contractus* *l. 2. l. 7. in pr. §. 1. & 2. D. h. t.*

VII. *Pacta* omnia *nuda* esse dicit *Wisfenb. Disp. u. ad π. θ. 3.* nihilq; præter *nudam conventionem* habere. Etiam *Legitima* *ait* esse *nuda* nec non ea quæ *Contractibus* *adjiciuntur* *l. nuda 5. C. d. Contrah. Stip. d. l. 7. §. 4. junct. §. seq.* ubi cùm *Ulpian.* præmississet, *nudam Pactionem* non parere *actionem*, *subjecit* interdum *formare* *Actionem*, nempe *Contractui* *b. f. adjectam*. *Pactio* adhuc *nuda* dicitur, licet *Contractui* *adjecta*, nec minus est *pactum nudum*, licet *formet* *Actionem* ex *Contractu*, quia non *parit* *Actionem* ex se, quasi ex *pacto nudo* detur *Actionio*, sed *format* *Actionem* ex *Contractu* cui *inest*. *Dividunt* tamen *Dd.* *pacta* in *privata* & *publica*. *Privata* in *Legitima* & *Juris Gentium*. *Legitima* sunt, quæ *Leges* aliqua *Civili* *juvantur* vel *confirmantur*; Et ideo interdum ex *pacto* *Actionio* nascitur vel tollitur, quatenus eadem *adjumento* *Legis* *vestita* dicuntur, quanquam *Wisfenb. d. Disp. §. θ.* dicat eos, qui *pacta* *vestita* *constituunt* *abuti* *l. solent 15. l. legem 10. C. h. t. l. ult. C. d. her. perm. l. 1. C. d. Pact. Conu.* Harum enim *Legum* *sententia* est,

*Rebus*



Rebus certâ Lege datis, ex eâ Lege Actionem dari. v. c. pactus sum tecum, ne à te peterem centum, quæ mihi debes, hoc pactum est. At cum fundum in dotem do hâc Lege, ut soluto matrimonio partem mihi reddas, pactum non est nudum, sed & Contractus nomen assumit, vel potius Contractus est cui inest pactum: nihil enim refert præcedat an sequatur pactum *l. un. §. 13. C. d. Rei Ux. Act. l. 1. C. d. Pact. Conv.* Quod autem pactum dicitur nudum, epitheton pacti perpetuum est, non diastole, quasi sit aliud vestitum. Sic Consuetudo dicitur longa *tit. C. qu. sit long. Consu.* non ad differentiam Consuetudinis brevis, sed quia omnis Consuetudo longo usu introducitur. Rectè tamen asseri potest vestiri ac muniri pacta quædam *L. XII. Tabb.* quædam jure prætorio quædam Principum Constitutionibus quædam *SC. Ex Lege 12. Tabb.* pactio de membro rupto *§. pæna 5. j. d. Injur. Gell. ult. N. A. 1.* ut pactio talio evitetur. Pactio de furto *l. 7. §. Si paciscar 14. d. t. b. A. Gell. u. N. A. ult.* pactio de injuriis *l. sed si unius 17. §. si jussu Domini 6 d. Injur.* Ex Jure Prætorio pactum cum constitui me soluturum quod ipse debeo, vel alius debet *l. 1. pr. §. t. t. π. d. Const. pec.* pactum pignoris quod nudâ conventionem constituitur, ita ut possessio ad Creditorem non transeat, & propriè hypotheca dicitur *l. 1. d. pign. Act. l. si rem alienam 9. §. propriè 2. d. t. l. majorennis 23. C. d. pign. §. Item Serviana j. d. Act.* Ex Principum Constitutionibus promissio Dotis *l. ad exactionem 6. C. d. Dot. prom.* Pactum Donationis, quod ipsum & simpliciter Donatio dicitur *l. si quis argentum 35. §. ult. C. d. Don. l. 2. pr. §. 1. & 2. eod.* Pactum cum Argentario initum, de eo ei permissum sit, tam principalem Debitorem quam mandatorem & Fidejussorem, & constitutum pecuniæ reum conveniendi non expectatò constitutionis gradu *N. 136. c. 1.* Pactum quod ob id interponitur, ut vini, olei, frumenti & cæterarum rerum fungibilium usuræ præstentur *l. frumenti 12. d. Usur.*

VIII. *Pactum publicum* est, cum auctoritate publicâ ob salutem & utilitatem publicam publicæ personæ paciscuntur. *Publicum* locum habet in causâ vel spirituali ut *Pacificatio Religionis* cujus mentio fit in Recessu Imperii *d. anno 1555.* Soll ein beständiger Fried. Stand in Religion. und Glaubens. Sachen auffgerichtet und beschloffen seyn und bleiben vel *Seculari*, tempore pacis aut belli, quod pactum aliàs  
B
dicitur



dicitur *Fœdus*, à *fædo* vel *facialibus* aut *fide* denominatum, quod veteres *Judæi* fanciebant interemptis animalibus certis *Gen. c. 15. 9. 10. & 17.* Sic *Jerem. 24. 18.* dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non observarunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes. Ab hoc more non longè recesserunt *Romani*, qui paciscentes cum *Albanis* sic per *Fecialem* locuti sunt: *Populus Romanus prior non deficiet: Si prior defecerit publico consilio dolo malo, in illo die populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum feriam, tantoq; magis ferito quanto magis potes pollesq;.* Id ubi dixit porcum saxo silice percussit *Liv. lib. 1. Hist.* Sic *Virgil. 8. Æneid.* de *Romulo & Tatio:*

*Armati Jovis ante aram --- ---*

*Stabant, & cesà jungebant fœdera porcâ.*

Eundem effectum habuisse apud antiquos manuum porrectionem ex *4. Reg. c. 10. v. 15.* liquet ubi *Jehu* ad *Jonadab* inquit, da manum tuam, quibus verbis fœdus denotat, quod est duorum vel plurium Principum vel Rerumpublicarum publicâ de Societate, pace, amicitia, mutuis commerciis auxiliisque præstandis pactum. Necessarium est, ut fœdus iniens summam habeat potestatem, eò enim fœdera quò cura Regni pertinere videntur. Hoc edocti antiquitus *Helvetii* detrectarunt subscribere fœderis *Tremoulliaci* conditionibus, nisi acceptis prius, qui capite punirentur, si rem ratam non haberet *Rex Galliæ Arn. Clapmar. d. arcan Rerump. l. 1. c. 20.* Possunt quidem populi fœderati potentia esse superiores inter se, ita ut alter alterius populi majestatem comiter conservet, Majestas tamen utriq; inesse debet, licet inde fœdus inæquale exoriat, & minor à majoris dependeat patrocínio *H. Grot. d. 7. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 21.* Est interim hoc omnium fœderum periculosissimum judicio *Bodini d. Rep. lib. 5. c. 6. n. 587.* Siquidem primus post patrocinium seu protectionem gradus invasio est *Greg. Tholos d. Rep. lib. 11. c. 11. n. 6.* Jusq; protectionis subjectionis atq; Jurisdictionis initium est *Besold. d. fœd. jur. n. 6.* Latinos per speciem hujus fœderis à *Romanis* in servitutem esse redactos ait *Machiav. lib. 2. in Comm. d. Rep. c. 13.* quanquam etiam periculosum sit juxta Politicorum Regulas cum nimis inæqualibus ratione miseræ & afflictæ conditionis fœdera inire, hinc *Lipsius l. 4. c. 9. Doctr. Civ. inquit: Nam infir-*  
mis



*mis aut miseris quid te jungas: quærent, cum quâ gente cadunt.*  
*Tu si sapias, fatis accede Deisq; & cole fetices. In caducum parietem*  
*ne inclina.* Fœderibus etiam infidelium jungi contra fideles alios  
 iniquè nos offendentes licitum est, ac unusquisque jure id facit, quod  
 ad sui tutelam confert *l. 3. π. d. J. & I. l. 1. in fin. π. d. Bon. eor.*  
*qui ant. sent.* Sic premente necessitate evanescentibusq; aliorum  
 subsidiis haud dedignatus est Pontifex infidelium auxilia *Comin. lib.*  
*7.* Et refert *Franc. Guicciardinus lib. hist. 1.* Sancti Patris consilio  
 Alphonsum Neapoleos Regem, adversus Carolum VIII. Gallix Re-  
 gem iterato auxilium à Turcâ petiisse *Limn. d. Capitul. Imp. ad*  
*a. 11.* Cum Hæreticis percuti posse fœdus negant quidam ex *lib. 7.*  
*& 8. Sleid.* Aliud tamen constat ex Justiniano in *l. 5. C. d. Her. &*  
*Manich.* ubi cum Gothis posse iniri fœdera dicit, qui tamen erant  
 hæretici, propter Arianismi labem, quâ infecti erant. Hinc leves  
 & malitiosos esse turbatores, qui ob diversos in Religione articulos  
 dissidentes, in multis consentientes, prorsus fugiendos ac à politicâ  
 arcendos clamitant Societate, inquit *Lanovius contra Scriptorem*  
*Autonomiæ, idem Scip. Amiratus & Warem. ab Ehrenb. d. fœder.*  
*l. 1 c. 2. n. 86. Jacob. Le-Bleu Disf. d. Fœd. θ. 84. 85.*

IX. Huc referuntur pacta inter bellantium partes finita, quibus  
 bellum causâ integrâ tollitur aut saltem differtur, quod fieri  
 solet induciarum remediis, quibus durantibus aut de bello finien-  
 do aut propagando ab utrâq; belligerantium parte ineuntur consi-  
 lia. *Dictæ sunt induciæ quasi inducentes otium,* quodque in certam  
 diem à pugnando otium præbeant. Cicero arbitratus est *lib. 1. d.*  
*Offic.* vel juxta *Gell. d. Noct. Att. lib. 1. c. 25.* à tribus hisce dictio-  
 nibus inde, uti jam, quod lapsò induciis determinatò tempore,  
 deinde omnia jure belli uti jam peragantur. Peculiare verbum  
*ειρανωχνη* adhibet Thucydides *lib. 1. hist.* quod *Scholiasies Græcus*  
 explicans ait esse pacem temporariam ad modicum tempus duran-  
 tem quietem, esse dilationem parvam belli. Gallis *Treves* dicitur  
 vel *Surseance d' armes.* Italis *Tregna sospendimento d' arme.* Nam  
 induciæ sunt pacta, quibus inter bellantes est conventum, ne invi-  
 cem se hostes laceessant ad certum tempus restricta. Sic definit Pau-  
 lus in *l. 19. §. 1. π. d. Re mil.* Induciæ sunt, cum in breve & in-  
 præsens tempus convenit, ne invicem se laceessant, quo tempore non



est postliminium. Pangendarum induciarum potestas tribuitur non soli Majestati, sed etiam Ducibus hic servatur agendi libertas, præsertim si de brevioris intervalli induciis agatur, quia tantum pacis momentum est, quod secus est in verâ faciendâ pace, quæ altioris est indaginis, juribusq; Majestatis reservata est *l. 3. π. ad L. Jul. Maj.* imò induciarum longum temporis intervallum habentium jus eò refertur, inde factum, ut Rex Hispaniæ *1609.* Antverpiæ cum Ordinibus generalibus fœderatarum Provinciæ non aliter quàm quasi cum populo libero inducias inire voluerit, quarum conditiones sequentes. (1.) Archiduces tam suo quàm Regis Hispaniæ nomine declarant se paratos cum Ordinibus tanquam cum populo libero pacisci. (2.) Ut induciæ illæ sint certæ firmæq; spatio duodecim annorum, quo cessatio erit omnium actionum hostilium. (3.) Quisq; tenebit Regiones quas jam possidet, iisq; liberè fruetur. (4.) Subditi utriusq; partis mutuam exercebunt inter se amicitiam. (5.) Effectus induciarum vigere incipiet intra annum à die conventionis, vel quàm primum nuntius in partes longè distitas perveniet. (6.) Subditi unius & alterius ditionis non majora exsolvere tenebuntur tributa, quàm loci incolæ, ubi exercentur commercia. (7.) Subditi Ordinum securitate Pacificationis ultimæ Subditorum Magnæ Britanniæ fruentur. (8.) Mercatores Navarchæ &c. nulla ratione capi, vel aliquò sub prætextu retineri poterunt. (9.) Si commerciorum intuitu oriantur dissidia, ea à Commissariis determinanda sunt. (10.) Sententiæ contra quosdam adversæ partis latæ induciis durantibus executioni mandari non poterunt. (11.) Cessabunt eò tempore literæ clarigatoriæ. (12.) Ad portus utriusqve partis suspecto navium aut militum numero appellere absq; veniâ non licebit, plura capita latius exponuntur in *contin. hist. Thuan. lib. 2. & lib. 30. Belg. hist. Em. Meterran. Inducias servare* Antiquitas tanti ponderis esse censuit, ut gravius illarum quàm pacis fractorem coercuerit, violatæ pacis prætextus inveniri potest facilè, sed difficulter induciarum *Bonifac. Vannozius Observat. polit. ax: 1646.* quam non desunt etiam exempla violatarum induciarum, cum Thracæ triginta dierum inducias cum hoste iniissent, noctu Bœotiorum agros populabantur, quod dierum pactæ essent, non noctium induciæ: *Cic. d. Offic. lib. 1.* hoc tamen & alia exempla docent latibula per-



perfidia, in fide semper cogitandum, quid senseris non quid dixeris, hosti quoq; data fides servanda est, quia cum illo commercium est *l. fin. π. d. Legat. Jac. Le-Bleu Diff. polit. d. Induc.* Cum quibus jus Gentium commune est, his fides data servari debet. Est autem commune cum hoste *d. l. ult. π. d. Legat.* cum latrone *l. bona fides 31. d. Depos.* cum maleficis *l. sunt quidam 17. l. qui ultimo 29. D.d. pæn.* cum barbaris *l. 6. in f. D.d. Bon. damn.* cum hæreticis & infidelibus. Ergò his fides data servari debet *l. nam & Servius 21. l. si quis negotia 23. D.d. N. G. Hottom. illustr. q. 7. Fachin. 9. controu. 58. Bronch. 1. antin. 29. H. Grot. 3. d. I. B. & P. 19. Wissemb. Diss. 9. π. θ. 9.* Diss. quoad hostem *Bart. in l. 5. D.d. pact:* quoad latronem *Cicero 3. d. Offic. Bachov. not. ad Treutl. vol. 1. Diss. 6. θ. 7. lit. A.* quoad Hæreticos *Gregorius IX. Pontifex c. ult. X. d. Heret.*

X. Meritò laudatur fides servata à Carolo V. qui Lutherum publicâ fide ad Comitia Wormaciensia evocatum inviolatum dimisit adnitente Ludowico Electore Palatino *ann. 1519. Bodin. lib. 5. Sleidan. l. 3.* Damnatur vero consilium Eugenii IV. Pontificis Ladislao Ungariæ Regi datum ut pacem cum Turcis factam violaret, cujus consilium etiam infelicissimus Regis exitus perfidia damnavit *ann. 1444. Chron. Carion lib. V.* Eâdem infamia Patres Concilii Constantiensis deflagrant qui Sigismundo Imp. authores fuerunt ut Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem, Bohemos, contra fidem datam, infaustis Ignibus necaret *a. 1415. Chron. Carion. d. l. 5.* Non est in cujusquam mortalium vel concilii potestate, solvere ejus animum nexu Religionis, quo se sua sponte devinxerat, sed potius licentiæ conciliabuli infandorum capitum adscribitur, à quò fas gentium impia fraude temeratur. Cum hoc Jure Gentium conveniunt *mores nostri & Jus Canonicum*, quibus pactum absolutum seriò & causâ expressâ ininitum licet nudum seu solennibus stipulationis destitutum sit Actionem tamen parit *c. 1. d. pact. c. 3. eod. H. Grot. lib. 2. d. I. B. & P. c. 11. n. 1. & seqq. Carpzov. p. 2. const. 19. def. 17. & const. 32. def. 18. n. 9.* Cum enim Jus Canonicum & hodiernus usus non requirant in ejusmodi promissionibus solennes formulas: Ideo etiam his non adhibitis modo de certâ & seria promissione constet obligatio & Actio oritur. Ac inauditum esse in praxi discrimen sti-



pulationis & pacti nudi quoad vim & effectum obligandi notant. *Molin. ad rubr. tit. d. V. O. n. 42. 45. Gudelin. de Jure novis. c. 5. Valer. Andr. Desfel. ad Zes. Comm. in j. ad tit. d. V. O. n. 2. Clar. Dominus Struv. in Decis. Sabb. Canon. pract. c. 2. Decis. 1. quæ conveniunt voto Senecæ jam suo ævo l. 3. d. Benef. c. 15. scribentis: Utinam nulla stipulatio Emptorem Venditori obligaret; nec pacta conventa impressis signis custodirentur. Fides potius illa fervaret, & æquum colens animus.*

XI. Hoc tamen restringitur tantum ad *pactum absolutum*, non verò extendi potest ad *respectivum* vel *Pollicitationem*. *Pactum* siquidem *nudum respectivum* seu promissio de dando vel faciendo respiciens alterius dationem vel factum nec Jure Canonico nec usu parit Actionem, quia neque Jure Canonico neque moribus nostris natura Contractuum innominatorum est mutata, quod scil. tacitam quasi contineant conditionem nisi ante implementum conventionis intervenerit pœnitentia *Carpz. p. 2. c. 33. d. 23.* Pollicitationem quæ solius offerentis promissum dicitur *l. 2. π. d. pollic. Et ita* repetitur in lib. βασιλ. ἡ ἐπαγγελία μόνος τῶ ἐπαγγελιαμένους ἐπιχρσις *d. pollic. se opus aliq. Reip. fa.* nec hodie parere Actionem non sine ratione statuunt *Moller. 4. Semest. 40. Carpz. p. 4. c. 43. d. 4.* quod exemplo explicat *Zasius: Pollicitatio* inquit *est quadam offerentis exhibitio*, vel in absentia alterius vel altero non acceptante, hanc *exhibitionem* vulgo dicimus *verba honoris*, sicut si Ego dixero vicinis, vel in convivio, amo Titium, ego providebo ei de Veste: Titius hoc nescit, hæc est una pollicitatio, vel etiam si pollicear præsentis alicui, qui tamen non acceptet. Hæc pollicitatio non obligat, nè naturaliter quidem, erga quem enim obligaret, cum obligatio debeat esse respectiva: & licet Canonistæ variant in *c. ex parte d. Censib. Et ibi* *Batr.* volens, quod de æquitate canonica liget, Abbas tamen contrarium tenet in *c. qualiter d. pact.* & hoc est verius & ita servatur, quod ista *pollicitatio non obliget.* Huic sententiæ subscribit quoque *Cl. Dn. Struv. c. 1. decis. 1.* Sed Cyprianus Regnerus *cens. belg. in l. 3. d. Pollicit.* Rationem in contrarium affert, his verbis: *quicumq;* serio aliquid promisit, ille etiam serio & efficaciter obligatur sive præceserit interrogatio sive non præceserit, & ideo substantia sive vis obligationis non consistit in eò, quia quis stipulatus est, sed quia  
promi-



*promisit.* Verum hæc ratio locum haberet si constaret, an ejusmodi pollicitator *serio* an solum jactabundus promittat? Cum vero de de eò non constet *Regnerus* committit *petitionem ejus quod est in principio.*

XII. Civilis obligatio nuda, quæ finire vocatur, est quæ Jure Civili Actionem parit, sed eam quæ per Exceptionem Jure Prætorio infirmatur §. *preterea j. d. Except. l. 3. §. 1. d. Const. pec.* Nascitur hæc obligatio ex iis causis ex quibus Jure Civili nascitur actio. Sed si vim & potestatem actionis, non nomen spectamus, ubi actioni objicitur Exceptio, nulla actio esse videtur nihil enim interest utrum quis Actionem non habeat, an ea per Exceptionem infirmetur *l. nihil D. d. R. I.* Nec participat hæc obligatio quidquam de fructu obligationis naturalis sive Exceptio opponatur sive nondum opposita fuerit. Exemplo erunt hujus generis duo effecta, ne necesse sit omnia persequi; soluti rententio & constitutum. Nam quod natura debetur, si solutum sit quamvis ab eò qui justo errore facti putaret civiliter deberi, tamen repeti nequit. Sed obligatio Civilis non impediet ejusmodi repetitionem, idque est quod dicitur de eò qui exceptionem perpetuam habet solutum per errorem repetere posse *l. qui exceptionem D. d. Cond. Indeb.* hic & quod natura debetur rectè constituitur ut debitum *l. 1. §. ult. d. pec. const.* Qui vero constituit quod Jure Civili debebatur, Jure autem prætorio non debebatur, constituendo non tenetur *l. 3. §. 1. d. pecun. const. Hug. Don. Com. l. c. lib. 12. c. 3.*

XIII. Cum utriqve superiori Obligationi plena & vera necessitas præstationis desit, perfectior quoad effectus est quæ ex his duabus constat & naturalis & Civilis simul dicitur, ex quâ Jure Civili ejus petendi & exigendi nomine, quod debetur ultro Actio competit, & cum effectu i. e. sine ulla perpetuæ exceptionis remotione. Atque hæc propriè obligatio dicitur, quæ istam vim & necessitatem exigendi habet à Debitore, inde Debitor describitur, à quò invito pecunia exigi potest *l. debitor D. d. V. S.* Ex adverso creditor is qui actionem habet *l. Creditor D. d. V. S.* Causas obligationis quatuor Justinianus posuit §. *ult. j. d. Oblig.* Contractum, quasi Contractum, maleficium quasi maleficium, quæ semper considerandæ sunt, ut quoties aliquid petitur tanquam debitum, ex his causis judicium  
suma.



sumatur, ita ut extra eas non esse obligationem, eoq̄ve nihil deberi colligi queat, quia hæ quatuor causæ, sufficiunt huic obligationi, solæ; Nec repugnat obligatio ex pollicitatione & votò. Pollicitatione obligamur Reipublicæ certis conditionibus *l. 1. D. d. pollicit.* voto obligamur Deo, eoq̄ve & Reip. quæ votum exigit *l. 2. §. 1. π. eod.* quarum neutra ad quatuor causas referri potest, ideoq̄ve nec pollicitatio nec votum causæ hujus obligationis privatæ esse queunt. Nullus privatus pollicendo se quid privato præstiturum pollicitatione obligatur. Quod ergo pollicitatione obligatur quis, tunc solum receptum est, cum pollicetur Reip. cui & proprio quodam Jure Reipub. obligatur, quare & ad Jus Publicum Civitatum & Rerumpubl. referendum est. Nec quicquam in contrarium facit divisio *Caji in l. 1. D. d. O. & A.* scribentis: obligatio aut ex Contractu nascitur, aut delicto, aut propriò quodam jure ex variis causarum figuris. Figuras vocat formas i. e. species causarum factorum seu negotiorum, quæ in maleficium non cadunt, species tamen sunt, quarum genera sunt Contractus & quasi Contractus; De his enim in *l. 5. aliàs l. 4. §. 1. usq̄ ad fin. d. O. & A.* variis figuris causarum agens, & his longe dissimilibus propositis eas generibus distinguit. Neq̄ve plures causas enumerat in *l. obligamur D. d. O. & A.* Modestinus, dicens: *obligamur aut re, aut verbis aut simul utroq̄, aut consensu aut lege, aut jure honorario, aut necessitate aut ex peccato.* Nam species quatuor illæ, quibus obligari nos dicit re, verbis, simul utroq̄ve consensu; species quidem plures distinctæ sunt inter se, sed quæ ad unum genus referuntur Contractuum. Contrahitur enim his modis obligatio re verbis consensu eaq̄ve rursus Contractus divisio est posita in *§. ult. j. d. Oblig.* Quod autem dicit Modestinus obligari nos ex peccato. Idem est ac si dixisset ex maleficio, vel quasi. Quod addit obligari Nos Lege, Jure honorario, necessitate, per id non intelligit causas ex quibus obligatio nascitur, sed indicat tantum jus, quod constituit obligationem: quanquam hoc posterius divisioni à Modestino vitiosè adjectum esse variis argumentis probet *Hug. Don. Comm. d. 7. C. lib. 12. c. 5.* nihilominus tamen ut separata divisio non causas propter quas obligatio jure constituitur, sed ad jura obligationem constituenta respiciens excusari potest.

XIV. *Contractus* est *Conventio* seu consensus duorum pluriumve



riumvè in hoc, ut unus alteri quid det aut faciat, jure ad eam rem & præstationem comprobatus. Est enim omnis Contractus *conventio*. Nam & qui Contractus in nomine conventionis non stant, sed transeunt in proprium nomen dicuntur conventiones *l. Juris Gentium in pr. D. d. Pact.* Conventio autem & pactio idem valent quæ per consensum definitur *in l. 1. pr. §. 1. π. d. pact.* Id Pedius expresit nullum esse Contractum nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem seu consensum ut paulò post interpretatur. Sive enim Venditio sive permutatio sive Conductio sive quælibet alia contrahendi causa fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum id quod inchoatur non potest *l. in omnibus 55. π. d. O. & A.* quare Labeo in *l. 19. π. d. V. O.* Contractum dicit esse obligationem, quia sicut in genere ex factò jus oritur, ita in specie obligatio ex Contractu oritur, nam quando homines contrahunt, promittunt, emunt, vendunt, locant, conducunt, credunt deponunt, permutant &c. ex hujusmodi factis quoddam jus, quod obligationem nominamus proficiscitur, sicq; effectus prò causâ ponitur. Licet autem Conventionis nomen generale sit, nihilominus tamen non ita latè patet, ut non etiam Contractû à quasi Contractu à delicto & quasi delicto secernat. Est verò conventio duorum pluriumvè quia Nemo sibi ipsi debere potest, vel agens & patiens esse valet, contrahere enim idem est quod constringere aut obstringere sibi alterum & strictè loquendo dicuntur Contractus conventiones, quæ pariunt ultrò citroqve obligationem, & ut Græci loquuntur, mutuum *synnallagma l. Labeo 19. π. d. V. S.* quamvis vero unus tantum obligetur Contractus tamen inter duos est, ut unus alteri quid det vel faciat, & indigentia humanæ subveniat, & quidem si quis pecuniam habens rerum indigus sit pro pecunia sibi res vel merces emere potest, per pecuniam res æstimantur *l. si ita 42. π. d. Fidej.* in pecuniam res omnes converti possunt *l. 2. §. Neminem 1. C. d. Constit. pec.* pecunia vice rerum fungitur *l. 1. π. d. Contrah. Empt.* Nummus fidejusor est futuræ necessitatis, quem qui habet habere dicitur quicquid ex ea comparari potest *l. tantum quisq; 88. d. V. S.* Si quis careat pecunia aliisq; rebus abundet permutare licet *l. 1. §. 1. d. contrah. Empt. Vend.* Si quis non tantum pecuniæ numeratæ nec aliarum rerum habeat ut emendo vel permutando acquirere possit, tunc usum rei licet consequi ad certum tempus Locatione Conductione mutuo commodato &c. Si vero aliquis aliquid nulla pecunia obtinere

C

nerè



mere potest, sæpe id consequitur ex officio humanitatis, huc spectat Contractus depositi, mandati &c. in quibus omnibus licet in quibusdam una saltem sit persona obstricta, duo contrahentes sunt, quorum actus tum Jus Gentium tum Jus Civile comprobant.

XV. Obligatio Deo debita quæ Religio in Deum dicitur l. 2. D. d. 7. § 7. non oritur ex Contractu nec Pacto sed ex ipsa naturâ & Lege Dei revelata, non quidem ex illa ratione quam Hobbes de Civ. c. 15. §. 7. proponit, quia homo Deo nequit resistere & quia *duæ sunt obligationis naturalis species una ubi libertas corporeis impedimentis tollitur; juxta quam celum & terram & creaturas omnes communibus suæ creationis legibus obedire dicimus. Altera ubi tollitur spes & metu, juxta quam infirmior potentiori cui resistere posse desperat, non potest non obedire. A secundo hoc obligationis genere nascitur, hoc est, à metu sive imbecillitatis propriæ (respectu divina potentia) conscientia, quod in Regno Dei naturali, ad obediendum Deo obligemur dictante scil. ratione, omnibus Dei potentiam & providentiam agnoscentibus non esse calcitrandum contra stimulum. Sed si ex ipsâ natura originem hujus obligationis repetere libet, eam magis ex amore quam metu derivamus, nam, quoniam homo non tantum theoretice cognoscit se non tantum esse ut elementa ac ex his orta mineralia lapides metalla &c. & esse & vivere ut arbores frutices herbæ, & esse ac vivere ac sentire ut sunt animalia loco movendi facultate prædita, verum etiam & esse & vivere & sentire & intelligere conjunctim habere, & sibi nil deesse, quod aliis Creaturis adest, nec aliquid addi posse, quia gradus superior nullus est in sublunari spherâ, & ex his etiam cognoscit hoc esse vivere sentire & intelligere non sibi fuisse causam ut essent, nam quod non est agere non potest, inde sequitur ut aliunde habuerint sui originem, adque talem perveniendum sit causam, quæ esse nunquam caperit, quæque sit non contingenter, sed necessario, quæ Numinis aut Dei voce significatur. Cognoscit quoque homo à manifestissimo consensu omnium gentium, apud quas ratio & boni mores non planè deletâ veritate absunt Deum revera esse. Nam cum quæ ex hominum arbitrato veniunt, nec eadem sunt apud omnes & sæpe mutantur; hæc autem notio nusquam non reperiatur neque temporum vicissitudine mutetur, quod iis etiam notatum hominibus ad talia minimè credulis, asserentibus*

tamen



tamen causam ejus aliquam dari, quæ se ad omne genus humanum extendat: quæ alia esse non potest quàm ut manifestavit aut Oraculum Dei ipsius aut traditio, quæ à primis humani generis parentibus manavit: quorum prius si admittimus, constat de quò quæritur: sin postèrius, nulla sane ratio assignari poterit sufficiens, cur primos illos parentes credamus falsum aliquod in re momenti maximi ad omnes posteros prodidisse. Accedit sive olim cognitæ sive nuper repertas orbis partes spectemus, ubi modo aliquid est humanitatis, exferit se hæc notitia, tum apud gentes sapientia aut ingenio valentes, tum apud stupidiore alias, quarum nec illas omnes decipi potuisse, nec has reperisse, quo alii alios deciperent, ullo pacto credibile est. Evidè theoreticè Numen esse aliquod, etiam ejus attributa sunt evicta, non plures sed unum esse Deum, quod inde colligitur, quia Deus est id, quod est necessariò sive per se: necessariò autem sive per se quidqve est, non qua in genere consideratur sed qua actu est, actu autem sunt res singulæ. Quod si plures Deos ponas, jam in singulis nihil invenias cur necessariò sint, nilqve cur magis duo quàm tres, aut decem quàm quinque credantur. Manifestum quoqve in Deo perfectionem & quidem infinitam esse, quia attributum cujusqve finitur, aut quia causa per quam existit, tantum, nec plus ei communicavit, aut quia ipsa tantum nec amplius capiebat. Deo autem nulla natura quicqve sui communicat, nec ipse aliunde aliquid capit, existens per se & necessariò & infinitè. Itaqve esse eum infinitæ id est æternum, potentia immensæ id est omnipotentem sic & omniscientem, & omninò sine ulla Exceptione bonum. Quæcunqve autem subsistunt, à Deo existendi habent originem. Unde sequitur ut alia omnia sint orta ab aliquò diverso à se ipsis, quæ autem aliunde orta sunt, ea omnia in se aut in causis suis, orta esse ab eò, quod ortum nunquam est id est à Deò cognoscimus. Neqve ratio tantum sed ipse id quodammodo sensus evincit, nam si humani corporis admirabilem structuram consideramus, & ut omnia ibi etiam minima suos usus habent, nullo studio nullâ industriâ parentum, arte vero tanta, ut Philosophorum ac Medicorum præstantissimi eam satis admirari nequeant, ostendit hoc opificem hujus naturæ esse mentem excellentissimam. Imo & mutorum animantium corpora id loquuntur. Non enim ex vi materiæ sed ad finem certum collo-



catæ ac figuratæ sunt eorum partes. Sic in aquarum situ, quæ, si materiæ qualitatem respicias, mediæ esse debuerunt inter terram atque aërem, cum nunc terris interfusæ sint, nimirum ut terræ fæcunditati hominumque vitæ nihil obstaret. Ob finem autem agere non est nisi intelligentis naturæ. Cælestia quoque sidera, & quæ in iis maximè eminent Sol & Luna cursus agunt, ita attemperatos ad terrarum fæcunditatem, & animantium valetudinem, ut nè excogitari quidquam aptius possit. Cum vero eo usque vis hominis non possit pertingere ut & cælestia lumina sibi servire cogat, nec illa ultrò se homini mancipasse credenda sint, sequitur ut superior quædam sit mens cujus imperio pulcherrima illa corpora homini perpetuas præstent operas. Ipsa vero mundi figura perfectissima rotunda scilicet & partes ejus in cæli quasi sinu conclusæ atque ordine admirabili dispositæ, satis loquuntur, non casu hæc confluxisse, sed ab intellectu constituta, quis enim adeo accuratum à casu expectet? fusius hoc argumentum exequitur *H. Grot. d. verit. Rel. Christ. lib. 1.* Paria de hoc theoretica cognitione habet R. de Sabunde argumentans: quia gradus superior non est in natura qui intellectum superet, ex his cognoscit impossibile esse omnia ista, sic accuratè mensurata se ipsa produxisse, quia nihil se ipsum facit, quia prius ageret, quàm esset, Ergò cognoscit etiam practice necessariò Deum, qui ista sic ordinavit, mensuravit & limitavit, ut inferiora superioribus gradum non præripiant, ob præstantiam dignitatemque homini concessam Religionem ab eo exigere, ad quam homo magis pietate quàm metu fertur *Raymundus de Sabunde Theol. natur. c. 1. 3 & 4.* Nam ut Tullius 2. d. Invent. ait: *Religio est, quæ superioris cujusdam nature, quam divinam vocant, cultumque ceremoniamque adfert, hinc fit ut idem loquitur 1. d. Leg: Nulla gens neque tam immanis neque tam fera, quæ non etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum & colendum sciat.* Consistit verò hic cultus in studio sapientiæ, justitiæ & aliarum Virtutum. In hanc sententiam Plato in Epinomide: *Ratio inquit omnium divinissima mundum constituit visibilem: quem vir felix primùm admiratus, deinde accenditur cupiditate discendi, quæcumque à naturâ mortali percipi possunt, sic arbitratus optimè & felicissimè sic victurum. & cum decesserit, ad congrua Virtuti loca venturum.* Eundem divinæ gratiæ conciliandæ modum proponit apud



puḁ Stobæum *Serm.* 42. in Proæmio Legum suarum Zaleucus: *U-*  
*numquemq; animam suam ad commodum componere oportet, ut ab*  
*omnibus malis pura sit. Siquidem Deus ab improbo homine non ho-*  
*noratur, neq; colitur sumptibus, sed Virtute & instituto bonorum,*  
*justorumq; operum. Necesse est itaq; quemvis, qui quidem Deo cha-*  
*rus sit futurus, pro virili tum facto tum proposito bonum esse.* Iso-  
crates similiter ad Nicoclem: *Pulcherrimam victimam, & maximum*  
*cultum esse existimo, si ipse sis optimus & justissimus. Major enim*  
*spes est, à Diis boni aliquid impetraturos tales, quàm qui multas*  
*pecudes mactant.* Verùm admodum pauca sunt, quæ de animæ  
statu post mortem & cultu Dei ex lumine naturæ sciri queunt. Hinc  
Socrates bibiturus cicutam amicis suis *tempus inquit est, jam hinc*  
*abire me, ut moriar; vos ut vitam agatis. Utrum autem sit meli-*  
*us? Dii immortales sciunt, hominem quidem arbitror scire nemi-*  
*nem.* Cic. *i. Tusc.* Et Seneca *epist.* 36. *Fortasse (si modo Sapien-*  
*tium vera fama est, recipitq; nos locus aliquis) quem periisse præmis-*  
*sus est.* Cum itaq; pauca hæc de obligatione ex lumine naturæ hau-  
riri queant, ea plenius ex Lege revelatâ cognosci queunt, quam fal-  
sam multæ gentes pro verâ habuerunt, ideò veræ revelationis quæ-  
dam indicia sumenda sunt, & quidem ne falsa absurda turpiaque  
vel doceat, vel fieri jubeat, nec nova sit, sed cum genere humano  
inter homines ortum habeat, nec quamdiu homines supersunt pe-  
reat, efficiat ut ei addicti pleriq; vitam & mores in melius mutant,  
quæ omnia revelationi Christianorum conveniunt, habet ea præce-  
pta vivendi saluberrima adq; summa nos incitantia, quæ sua quoq;  
se antiquitate commendant. Moses primus Scriptorum, quorum  
opera nostram Religionem cognitam habemus, ipsis Diis Græcorum  
antiquior est, quam antiquitatem *Eusebius Chronico suo*, ut doctrinæ  
veritatem Præparationis & Demonstrationis libris operosè ostendit,  
cujus verba à Josepho Scaligero conversa sunt hæc: *Hebræorum pro-*  
*genitorem Israëlem, à quò Judaicæ gentis duodecim tribus Israelis no-*  
*mine censentur, Inacho, quem primum Argis regnasse Græci prodide-*  
*runt, tempore æqualem fuisse reperi: Semiramidis verò tempori-*  
*bus Abraham vixisse, hominem quidem natione Chaldaum, sed ta-*  
*men Deo acceptissimum, qui primus Propheta apud Hebræos fuisse*  
*creditur: Moses autem, ut verum fatear, infra horum tempora ex-*  
*stitisse,*



eitisse, antiquiorem tamen omnibus prisca Græcorum memoria, Ho-  
 mero, inquam, Hesiodo, ipsisq; Trojanis temporibus, Castoribus, Æ-  
 sculapio, Libero patre, omnibus Heroibus, Mercurio & Apolline, reli-  
 quisq; Græcorum Diis, mysteriis & initiis, atq; adeo ipsis Jovis ge-  
 stis quæ à Græcis memorantur. Perpetua quoq; est Religio Chri-  
 stianorum, nam cum reliquarum nomina non nisi in risum & ludi-  
 brium supersint *Voss. d. Idol. l. 2. c. 33.* nostra Religio ut cum ho-  
 mine cœpit, sic in hunc usque diem incorrupta permanet, nec ullo  
 astu vel impetu deleri potuit, sed effectus præsertim in primitivâ Ec-  
 clesiâ produxit eximios, & tota ita comparata est, ut semper pro-  
 ducere possit *Lactant. Inst. lib. III. c. 26.* Cum verò ad constituen-  
 dam veram Religionem opus sit divinâ revelatione, nihil mirum  
 est hac ipsâ pandi, quæ mentis humanæ captum superant, ut sunt  
 ea quoque, quæ in Titulis *C. Just. βασιλ. & d. Summ. Trin. &*  
*Fid. Cath.* habentur Falsitatem aliarum Regionum, copiosè & ac-  
 curatè demonstrarunt: adsertâ è contrario Christianæ Religionis sin-  
 ceritate & firmitate *Justinus Philosophus & Martyr in Cohortat. ad*  
*Græcos 2. Theophilus Antiochenus ad Autolyicum libb. 3. Tatianus*  
*in Orat. contra Græcos, Clemens Alexandrinus ad eosdem in tr. qui*  
*inscribitur λογος ωεστρεπτοκος. Tertullianus in Apologetico & ad*  
*Nationes libb. duobus, Minucius Felix in Dialogo elegantissimo, cui*  
*nomen fecit Octavio; Origenes contra Celsum libb. 8. Cyprianus in*  
*2. libb: unus ad Demetrianum Africa Pro-Consulem, & alter de*  
*Idolorum vanitate; Arnobius libb. 7. contra gentes. Lactantius di-*  
*vinarum Institutionum totidem. Eusebius ευαγγελικης ωεπραγομευης*  
*libb. 15. Athanasius in Oratione contra Græcos. Julius Firmicus Ma-*  
*terus de errore profanarum Religionum ad Constantium & Con-*  
*stantem. Aug. lib. H. Grotius de veritate Relig. Christia-*  
*nae. G. Calixtus de veritate unica Religionis*  
*Christiana.*





Kc 3004

ULB Halle

3

003 757 714




Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter. 1  
Sammelbd. ? oder  
Inhaltliche Werte ?

von 125









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

114

N. J. V  
ATIO XIV.  
TARUM  
SIUM  
RTI & CON-  
VERSI

eiq; titulis π. C. Justin.  
X. respondentibus.

RESIDE  
CHRISTO.

O Volk/  
& P. P.  
NUS Bindel /

. Bor.  
NDENS  
defendet  
RIO MAJORI  
c. LXXXI.

MONTI.  
USNERIANO.

